

1248 Mai 9 Bentheim.

[20

Graf Otto von Bentheim schenkt dem Kloster Wietmarschen, der Grabstätte seiner Eltern, zu einer Memorie der Seinigen das Eigentum des von dem Kloster und dem im Kloster lebenden Konrad von Lohne gemeinsam angekauften Erbes Eßink in der Bist. Bimolten, Kspl. Nordhorn.

Otto comes in Benthem universis Christi fidelibus hanc paginam visuris salutem in eo, qui est salus omnium. Quoniam ea, que modernis aguntur temporibus, ne in posterum oblivioni tradantur, necessarium est, ut scripture

testimonio roborentur. Sciant igitur tam presentes quam futuri, quod dominus Frethericus miles dictus de Engnen et cenobium Novalis sancte Marie cum Conrado dicto de Lon unanimi consensu in simul convenientes pro quadam summa pecunie quadraginta marcarum et octo domum cum casa, cum hominibus et omnibus attinentiis in Bimolt a domino Fretherico compararunt et eadem bona dominus Fre(thericus), dominus Hermannus pater ipsius cum uxore sua domina Ava, Hermanno filio suo ac fratre suo Erpone libere in manus nostras presentibus nostris castellanis resignaverunt. Nos vero pietatis circa dictum cenobium viscera moventes ac considerata benivolentia cum affectu et servitio nobis ab hominibus eidem cenobio attinentibus sepius exhibito et ab antecessoribus nostris fore fundatum et ibidem corpora ipsorum quiescentium, proprietatem predictorum bonorum a domino Frederico ac omnibus suis heredibus nobis libere resignatam dicto cenobio Novalis sancte Marie ob memoriam parentum nostrorum ibique quiescentium ac nostri et Helewigis uxoris nostre libere contulimus perpetuo possidendam. Statuimus insuper, quod Conradus dictus de Lon, qui pecunia sua eadem bona comparavit, predictorum bonorum in Bimolt temporibus vite sue in claustrum manens Novalis sancte Marie cum omnibus attinentiis gaudeat libera possessione; si vero de voluntate propria aut aliqua necessitate compulsus Conradus a dicto cenobio discesserit, predicta pecunia quadraginta quinque marcarum pro bonis illis collata a cenobio sive a nobis, si cenobium non restituerit Conrado, restituatur ante terminum anni transactum et de cetero cenobium cum omnibus attinentiis quiescentibus gaudebit possessione. Ut autem hoc nostrum factum a nostris heredibus aut a domino Fretherico sive ipsius heredibus resignatio facta in posterum minime poterit (!) infringi, presentem paginam rei geste seriem continentem sigilli nostri munimine volumine communiri. Acta sunt hec Benthem, anno gracie millesimo ducesimo quadragesimo octavo, septimo Idus Maii, in vigilia Gordiani et Epymachi.

Orig. Von den beiden Siegeln ist das erste (des Wietmarscher Konvents) erhalten, das des Grafen abgefallen. Rückschrift: Geshne in Bymolte. IX. Rep. I. 35.

Kreis
Steinfurt

S 257

257